

V
B
J
C

TALASSIO

Generosis & Nobilibus
Nouis Sponsis

IACOBO CIMERMANO,

Consuli Cracouiensi.

ET

DOROTHEÆ ZAWACKA PIKUSSOWNA

Virgini pudicissimæ,
conscriptus.

A

Petro Mucharsky, Artium Liberalium Magistro, Phil. Doct. Scholæ Omnium Sanctorum Seniore.

CRACOVIÆ, (1614).
Apud Hæredes Iacobi Sibeneycheri.

Ad Generosum, & Clarissimum virum,
D. IACOBVM CIMERMANVM, CONSVLEM CRACOVIEN.

O fælix nimium, & Diis amate
CIMERMANE, domûs decus supremum,
Quàm fortuna sinu pio secundat
Te fælix, cohibens feros furores,
Quêis mæror voluit lares perire
Tecum, dum Libithina falce carum
Consortis thalami caput recidit.
Tristes pone vices, nihil coquat te
Vltra, sat lacrymis datum, et dolorî.
Pulsa nube redit dies amœna,
Phæbi cincta rotis benignioris,
Plausus ingemina, nouasq; pompas;
Festum lætitiæ refundit ingens
Tectis ecce tuis, iubetq; dulces
Ut cantus reuoces Chelys, lyræq;
Et cordis resides fibræ resultent.
Iam Latona faces ab axe mundi
Applaudens tibi porrigit iugales,
En campos renouat virore Flora,
En turmæ volucrûm canunt suaue.

Et desiderio frui precantur.
Laetus sparge nuces diu cupitae
Sponsae, iam laquear tenax nitoris
Colludat, reparet torusq; cultum,
Postes Hesperidum rosis virescant,
Vernantes violae fragrent odore.
Hospes magnus, Amor praeit, Venusq;
Adstat, Iuno comes, Dianaq; ardens;
PICORVM sobolem tibi illigare
Vinclo connubij student perennis,
Quae formae Dryadas rubore vincit,
Quae vrbis sola oculus, iubarq; primũ est
Quam virtus generis paterni adornat,
Illustres prôaui Scholae diserti
Phoebeae celebrant, & ars Galeni,
Cui longum numerat genus nepotum,
Iuris laurea quot recenset illi
Magnos consilio, graues senatu,
Hos infert domui tuae vt nitescant
Fortunae auspicio, & Dijs secundis:
Hoc Musae Citharâ volunt suaui,
Quum laetum resonant epos, tuoq;
Occurrunt hilares Talaßioni,
Aptantes violas decus coronae,
Plausum his si dederis, satis dedisti.

TALASSIO.

POstquam ſtirpe SZILINGORVM præclara propago,
Speſq; domûs, opibus Craco, famaq; celebris
IVSTINA, eximias inter clariſsima coniunx
Vna CIMERMANI, Lacheſis perpeſſa cruentas
Leges; ſors aduerſa viris aducta quadrigis,
Occupat en ſubitò deſerti coniugis ædes,
Inq; ſuas valuas luctum, triſteſque dolores
Conuocat, atque nimis longâ regione remotæ
Triſtitiæ, imperii tetras demandat habenas.
Mox dolor, atque grauis luctus, mærorq; furores
Effundunt, ſedeſq; ſuas in limine figunt:
Omnia permiſcent lacrymis, vſuque gemendi.
Mærenti threno reſonabat nænia triſtis,
Nudatus paries pictos periiſſe tapetes,
Menſaque plangebat, feſto viduata decore
Ferclòrum, at ſolùm irriguis ploratibus vda
Scamnorum ſeries confudit in ordine faſtum:
Hic vnum, aſt illic aliud claudo pede ſtabat.
Fornax nutabat vario concuſſa dolore,
Rhomboides crepitu ingenti exiliêre feneſtris,
Excuſsitque abacus lances, & Cretica vaſa,
Nec focus igniuomas ſpirabat in aëra flammas.
Sed terram lambens, fumi caligine tetra
Atria fædabat, viuaſque in imagine formas,

Sin-

Singultus, læſſusque ſibi tentoria furua
Panxerat, vt nullus poſſet mulcere dolorem,
Exoriens Phæbus quò lumina verterat, illic
Nil niſi triſte fuit, fædo plenumque vlulatu.
More ſuo hoſpitium locuples Fortuna petebat,
Mærorem in foribus ſpectat, luctumq; ſeuerum,
Attonitæ ſimilis ſiſtit virgulta Cypreſsi,
Quid moneant, orat; trifidi ſimulacraque ligni
Quid doceant, famam verbis ſcitando requirit;
Cur mæror ſeruet poſtes, & iura manendi
Vendicet iſta ſibi, quem extorrem patria fecit.
Curruli interea reſonabant compita plauſu,
Culmina portarum rauco clangore tubarum,
Spectatum exciuêre domos, vulgumq; ſtupentem.
Ocyor ante alios iuuenum pulcherrimus ore
Aduolat, auratæ Chlamydis fulgore coruſcus,
Candor equi niueum certabat vincere cygnum,
Minia ni pictor, caudæq; iubæq; rubenti
Spargeret, atque pedes nigros natura creaſſet,
Illuſtres capitis radiabant vertice criſtæ.
Palladis egreſſos ludis hic cernit alumnos,
Hos petit; & verbis, vt ſiſtant, cogit amicis.
Præclari iuuenes, Craci clariſsima proles,
Fare age, quâ ſedes CIMERMAN parte locauit
Vrbis, pacis amans, iuſti, vitæque beatæ.
Hos inter grauior natu reſpondet, vt amplam

Aedem Christophori sancti sub imagine linquat,
Quæ spectat circum, & miseræ commercia plebis;
Sed quæ parietibus vicinis iungitur illi
Hanc subeat, nullus sic error fallet euntem.
Subdit equo calcar iuuenis, monstrataque visit
Limina, mox niueo describit signa lapillo
Hospitii, famulumque vt res accommodet addit.
Ecce autem inuehitur curru sublimis in alto
Victrix tristitiæ, domitrix sæuique doloris
LAETITIA, à cuius temone fuêre reuincti;
Sidonii bis ter phaleris, gradibusque superbi
Quadrupedes, ostro strati, pictique tapetis,
Pectore portantes adamantea vinclâ corusco,
Tecti auro, fuluum mandentes dentibus aurum.
Horum Lausus erat domitor, moderator & atrox
Rectorum currus, comitum pariterque suorum,
Qui ductu dextram illius, læuamque regebant.
His aderant multæ Dominæque, Deæque secutæ
Lætitiam; inde choris stipata Diana triformis,
Astrorum, nemorumque simul constricta cateruis;
Regali insidens lecto, ceu ductor in armis
Agmen agens equitum, & florentes ære cohortes.
Iamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Diues equûm, diues pictaï vestis, & auri.
Nysæus primas acies, postrema tenebant
Iunonis iuuenes, medio dux agmine tædæ
Connu-

Connubialis Hymen, rigidus seruator honesti
Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est.
Procedit legio Cereris, pilataqué plenis
Agmina se fundunt portis; hinc Thracius omnis
Partheniusque ruit variis exercitus armis;
Inde animosa phalanx, armis simul agmine denso,
Ver, æstas, tempusque ruunt, omnisque relictis
Turba fluit castris, tum cæco puluere campi
Miscentur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vndique clamor adest, multæ latèque cateruæ,
Maiumæ se se miscent, saliuntqué, sonantqué,
Tres equitum numero turmæ, terniqué vagantur
Ductores, pueri bisseni quemque secuti:
Agmine partito fulgent, paribusqué magistris,
Vna acies iuuenum ducit, quam paruus ouantûm
Insequitur nimbus peditum, Clypeataque totis
Agmina densantur, populi perstringit aheno
Lux oculos, nudique seges Mauortia ferri
Ingeminat splendore diem, pars nobilis arcu,
Pars longè iaculis, pars comminus horrida contis.
Pluria quid referam? mediis iam mænibus vrbis
Craciadum vecti fuerant, claræque subibant
Tecta CIMERMANAE sedis, dum venit ad aures
Lætitiæ gemitus tæter, clangorqué dolorum.
Tunc ea confidens minimè sibi protulit astris
Quam simile è curru collum, studiumqué dolori

Applicuit, nec erat falsis imbuta tenebris
Vocum, ploratus maior, maiorquè crebrescit.
Nec mora, nec requies, inquit, commota furore
Ocyus, ora citatorum torqueto lupatis
Cornipedum victor, quis adest hostisque, malusquè
Hic latro, qui ponit festis obstacula nostris.
Constitit, & subitò firmis occasio pennis
Fertur ad antra CIMERMANI; quam figere gressus
Vt vidêre dolor, luctus, mærorque, timorquè,
Qua data porta ruunt, fugiunt, collumque tremendo
Alter in alterius recidens, vix ossibus hæret.
Ipsa sed egrediens curru, totâque caterua
Stipata ingreditur postes, & limine primo
Acta furore. Deus, quis ait vos sede locauit
Istâ, mærorum famuli, noctisque sodales?
Maturate fugam; matrique hæc dicite vestræ,
Non illi imperium summus regnator Olympi,
Sed mihi lætificandi homines mandauit in orbe;
Quos ego, sed motos præstat componere luctus
Ocyus ô famulæ, famulique fugate theatris
Hostes, si quis adhuc forsan non exiit inde,
Stent alii portis, telis angusta viarum
Accelerent, alii strictis mucronibus imas
Obtineant sedes, alii, pars cingite muros,
Cingite pars armis rimas, Dominumquè, domumq;,
Pars fossas implete solo, pars vellite vallum,

Perque

Perque cauas densi tela intorquete fenestras;
Claudite pars omnes postes; reseratus at vnus
Sit satis hospitibus, circa quem millia quinque
Sint iuuenum, totidemque virûm, ne forte sub intret
Tecta dolor, secumque trahat mæroris amicos:
Hæc mea festa domus peragat, lucesque celebres,
Hic tibi sit Maiuma locus, sedesque sacrorum,
Hoc sit & hospitium, Romam post ibimus omnes.
Interea, ô sociæ, mensis apponite cænam,
Dixerat; atque animis pariter certantibus omnes,
Pars epulis onerant mensas, pars pocula ponunt,
Illi se prædæ accingunt, dapibusque futuris
Tergora diripiunt costis, & viscera nudant,
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt
Viscera ahena locant, alii per scamna sedentes
Implentur veteris Bacchi, mensâque dapali.
Sed quoniam turbata domus, comitesque fuêre
Exitio luctus, Dominus rectorque domorum
Defessus, subitòque cadentia sydera somnos
Suadebant, iam solis equos Tarthesia Calpe
Condiderat, ponto Titanque insignis Ibero
Fulgebat, radios Lechi regione repellens.
Discubuêre solo vigiles ad tecta domorum.
Post vbi prima nouo spargebat lumine terras,
Tithoni croceum linquens aurora cubile,
It portis iubare exorto delecta iuuentus,

Immemor haud moniti Dominæ, conuiuia tectis,
Ignibus accelerat, regali ſplendida luxu.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque caniſtris
Expediunt, tonſisqué ferunt mantilia villis,
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penûm ſtruere, & flammis adolere penates,
Centum alii, totidemqué pares ætate miniſtri,
Qui dapibus onerent menſas, & pocula ponant.
Poſtquam autem menſæ ſplendebant vndique ferclis.
Lætitia accelerare iubet, mox Hoſpitis omne
Agmen, & ante torum propius conſidere mandat,
Imprimis ipſum Dominum; tunc deinde locuta eſt.
O Hoſpes reliquos inter gratiſsime nobis
Iuſtitiæ cultor, rigidi ſeruator honeſti,
In commune bonus, virtus quem pulchrior ornat,
Cui pietas Arabum theſauros contulit, atque
Sydonias donauit opes, cui ſumma poteſtas,
Et genus, & faſces vrbis, quam mænia cingunt
Tröia conceſsit, famam, nomenqué perenne.
Multa tibi præſtanda forent, nam maxima dona
Noſtra tuis tectis ſenſerunt agmina, verum
Macte animo, dotes Hoſpes quas præbeo ſume.
Orbatam ſplendore domum, firmâque columnâ
Ecce tuam cumulabo nouo ſolamine, iamque
Implebo triſtem, gemituque repleta locorum
Antra, nouis ornabo modis, chordisque canoris.

Quodq;

Quodque magis, sortem propriis quæ fugit ab aruis,
Iam reuocabo tuis tectis, illamque locabo.
Hæc vbi dicta dedit, Dominus rerumque, domusque
Annuit, & iustas tribuit de pectore grates.
Tunc illa ingenuis animis subrisit, & infit.
Sunt mihi bis centum præstanti corpore Nymphæ,
Hac vrbe in solâ, quarum tu de ordine sumas
Stirpe ortam clarâ, magnorum ex gente virorum,
Quam nec fama, genusque vllum superare, secunda
Nec fortuna potest, cuius si nomina vellem
Promere, perdoctis scriptis, chartisque notare,
Non mihi iam centum linguæ, totidemq; loquellæ
Sufficerent: mandatque statim comitatus vt omnis
Ad sedes Dorotheæ cedant, illamque reportent.
Vix ea dicta dedit, se se jam Delia curru
Extulit, & nemorum clarâ comitante cohorte
Irruit in nuptæ sedes, secumque locauit
Illam: Tunc rursus multæque, nouæque cateruæ
Procedunt pompis nimiis, rhædâque reducunt
Coniugis in sedes Sponsam, recinuntque triumphos;
Iamque propè ad Sponsi culmen se extenderat, illam
Cùm comites currus linquentes ducere tentant.
Musa mihi causas memora quo munere læta est,
Si quis forte aliquando oculis conspexit euntem
Reginam, magnâ Dryadum comitante coronâ,
Sic oculos, sic illa manus, sic ora ferebat;

 Qualis

Qualis in Europæ ripis, aut per iuga Cinthi
Exercet Diana choros, quam mille sequuntur,
Et longo fæstæ comitantur Oreades orbe,
Craciadum turba, & Lechi deducta ministris.
Atque hic ingentem comitum adfluxisse nouorum
Inuenio admirans numerum, matresque, virosque
Collectos ad opes Sponsi, populique trophæa,
Hic quid Phœbe canes, quanto splendore rigebat
Nupta, habuit Tyriã Chlamydẽ, quã limbus obibat
Aureus, ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrhâ curuum crinale capillos,
Aurea Cæsaries illi fuit, aurea vestis.
Tempora gemma decens, humerisq; hærentia primis
Suppara vestitos cingunt angusta lacertos,
Illic barbaricæ vestes, melibæaque fulgens
Purpura, Thessalico concharum tincta colore, &
Aurea pauonum ridenti imbuta lepore,
Seclâ nouo rerum superata colore fuêre,
Flammea demisso vellauit lutea vultu
Ipsius ora. Fuit ventum sub tecta domorum
IACOBI ipsius, quando descendit ab axe
Sponsa noui Sponsi: subitò de gente paterna
It puer ante illam roseus, præfertque coruscam
Igne facem, reliqui materni cursibus amplis
Adueniunt, illamque tenentes ducere tentant,
Hac parte, atque illâ maiorum stemmata portant.

Interea

Interea ſignum ſpeculâ Miſenus ab altâ
Aere cauo domui toti prædicit, & adfert,
Aduentum Sponſæ reſonat, conchâque ſonanti.
Tum verò ad vocem celeres quâ buccina ſignum
Clara dedit cuncti concurrunt vndique, Sponſus
Ipſe ſalutatum prodit, Sponſamque nouosque
Aduentus hominum, turmasque reponere mandat,
Sedibus in propriis epulis Carcheſia iungunt,
Miſcent ſeſe acies capiunt ſedemque, locumque
Hoſpes & hoſpitibus conuoluitur æde nitenti.
Tota domus reſonat, tectisque ſedilia quiſque
Prima capit, reliquum Iuno fauſtiſsima menſæ
Aſſurgens, turmas interſic ore locuta eſt.
Huc ades ô Sponſe, huc ades ô nitidiſsima Spōſa,
Et vitreum teneris crinem redimite corymbis,
Sic ait, & volucri pennâ mox irruit, ecce
Alma fides, ignoro quibus terrisque, locisque,
Hanc immenſa cohors ſubitò comitatur, & ingens
Virtutum proles, rerum ſapientia rectrix,
Iuſtitia alma, pudicitiæ verique corona.
Poſt vbi ſancta fides pennis innixa recumbit,
Poſtibus appoſitas lymphas, ignesque micantes
Tangere vtrumque iubet, riuos & ſpargit vtrumque,
Hic ſubitò patulæ cornix ſuffulta feneſtræ
Occinit, & fauſtas luces, omenque precatur.
Aſt vbi ſol medios orbes, mundumque teneret

Discubuêre toris, accedunt ordine pulchro,
Poplitibus flexis tendunt mantilia Serum
Egregii formâ iuuenes, quæ Dædala dextra
Pinxit; fragrantes alii struthionibus vndas
Affundunt manibus, quas largè spicea nardus
Vnguine odorifero, & malobathri miscuit humor.
Aduenmiunt alii bellaria longa ferentes,
Vt mensis acuant gustus, & crescat orexis.
Zinziber in quadrâ fuerat radice suaui
Vnâ, quale solet nostras traducere terras
India, muscatasque nuces, & citria poma,
Canarioque rosas digestas melle ferebat
Alter, quas Veneri seruabat florida Tempe,
Præbebat gariophyllum medicamina cordis,
Frigida vincebatque simul cicorea calores,
Vulnera tergebat longi scolopendria splenis.
Quis succos numerare queat, lymphasque fragrantes
Cynnameas, aneti, solis, rorisque marini,
Quêis CIMERMANI tædas decorauerat Aegle
Naiadum, Dryadumque simul pulcherrima vultu;
Nec non & Craci per limina læta frequentes
Conuenêre, toris iussi discumbere pictis.
Quos inter Musis doctis stipatus Apollo
Venit, & effusus pompis, festoque celebri,
Dum mensæ gemerent dapibus, sic ore profatur.
Flectite nunc vestros Heliconis numina cantus,

TALASSIO.

Sicelides Musæ, Clio, Polyhymnia, sancta
Terpsichore, Euterpe, reliquæ multæqué sorores
Pieridum, telas vestras percurrite plectro,
Nec non Threycius longâ cum veste Sacerdos
Acceleret, numeris septem discrimina vocum:
Qui fertur Citharâ syluas, & saxa mouere,
Et mulcere feras, & flumina longa morari
Voce suâ, volucresquè vagas retinere solebat.
Iamqué suo resonet tectis Proserpina cantu,
Huc veniant voces doctæ, bellèque sonantes
Garrula quas modulis diuersè tibia format,
Et quidcunque manu loquitur, flatuqué mouetur
Occinat, & cantus inter conuiuia præstet,
Acceleretque sono Bacchum, recreetqué penates
Personet Euboicâ Teuthras testudine Cymes.
Gratandum est nobis, luces faustæqué precandæ,
Ecce CIMERMANVS Sponsam deducit in ædes.
Quod si fortè aliquis fuerit suspendere naso
Qui Musas nostras tentet, corybantiaqué æra,
Idcircò, quoniam grauiori ætate senator
Suppeditat nobis carmen, festumqué canendi
Lætitia plenum, & capuli silicernia temnat;
Accensisqué nouis facibus, dispellat amaros
Nunc luctus, lacrymasque genis compescat edaces,
Quêis Iustina fuit cæli dilapsa sub auras,
Mensibus ante aliquot lugubri condita cippo:

Scili-

(Scilicet illa petit gemitus, quæ dicit in axe,
Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu,
Cur? quoniam volito, celebri famæque reseruor)
Inuidiæ ipse luat pænas, & compare mulcta
Stesichoro pereat, nictanti lumine captus.
Namque tibi tempus Craci celebrande senator
Auspiciis cælum faustis, terræque theatrum
Applaudit, spondens longæui Nestoris annos,
Ipsa parens æstas veris gratatur honore,
Educat ecce rosas vt tempora serta coronent,
In solem erumpunt medio de cortice gemmæ,
Et tenues scindunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus, hic aliena ex arbore germen
Includunt, vdoque docent inolescere libro.
Has circum casiæ virides, & olentia latè
Serpylla, & grauiter spirantis copia thymbræ
Emicat, irriguosque exsuggunt lilia fontes.
Ecce ferunt Nymphæ calathis tibi magne virorum
Pallentes violas, thyrsos mollisque amaranthi.
Tum casia, atque aliis intexunt suauibus herbis,
Mollia luteolà pingit vaccinia caltha,
Te gaudente volunt Hospes Saturnia seclà
Restaurare vices, cælique reducere cursus,
Aurea queîs firmata ætas, quæ vindice nullo
Sponte suà sine lege fidem, rectumque tenebit,
Nec non præcipites præcingent oppida fossæ